BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Pansa, Caspar

De Vita Et Morte Nobilissimi, Amplissimi Prudentissimique Viri, Domini Jacobi Pömeri, Senatoris Reipub. Norimbergensis praestantissimi, ac illustris Academiae Altorphinae Scholarchae laudatissimi, qui die Decembris 2. anno 1607. in patria placide decessit, Oratio

Norimberga 1608

Res/4 Biogr. 278,20
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10887752-4
VD17 39:143666C

Res. 4°
Biogr.
278
20

4 Biogr. 278,20

Biogr. 4
278
-20-

DE

*VITA ET MORTE*

# NOBILISSIMI, AMPLISSIMI PRUDENTISSIMIQVE VIRI, DOMINI IACOBI PÖMERI,

SENATORIS REIPUB. NORIMBERGENSIS præstantissimi, ac illustris Academiæ Altorphinæ SCHOLARCHÆ laudatissimi, qui die Decembris 2. anno 1607. in patria placidè decessit,

## ORATIO:

*Gratitudinis ergò conscripta & habita publicè die Februarii 2. Altorphii,*

à

*Casparo Pansa, Philosophiæ ac SS. LL. studioso.*

Addita sunt etiam carmina in ejusdem obitum.

*Psalm. 112.*

Nominis in nullos justi oblivisciturramos,
Æternum credens vivit in orbe Deo.

NORIBERGÆ,

*& Typographéo Pauli Kaufmanni.*

clɔ Iɔ cviii.

*Nobilißimi generis, optimæ indolis ac ſummæ ſpei laude præſtantißimis adoleſcentibus:*

VVolffgango Iacobo Poemero, diſcipulo amantiſſimo,

Alberto Poemero: fratribus germanis, ſuperſtitibus defuncti Poemeri filiis:

*hanc de vita Patris commemorationem*

offert ac dedicat

*Caſparus Panſa Hennebergicus, Francus.*

Bayerische Staatsbibliothek München

# RECTOR ACADEMIÆ ALTORPHINÆ, ERNESTVS SONERVS, MEDICINÆ DOCTOR, omnibus Academicis S. P.

*CUm pium atq; officiosum semper fuit habitum, eorũ, qui de nobis privatim benè meriti sunt, etiam post mortem gratam conservare memoriam; tum vel inprimis laudabile, imò necessarium est judicatum, quorum præclara non in privatos tantum, verũ in Remp. etiã extant merita, ut istorum, quando in vivis esse desierint, apud nos tamen officiosa recordatione perpetuò revivisere, ac nunquam intermoritura esse beneficia declaremus. Ut enim nihil est, quod magis liberalitatis fontes occludat, quàm ingratitudo accipientium: ita vicissim eosdem nihil magis aperire atq; prolicere potest, quàm justa benefactorum nostrorum prædicatio, & crebra commemoratio beneficiorum cum studio præstandi se dignos. Quando ergò sub finem anni superioris præceps & inopinatus casus nobilissimum, amplissimum & prudentissimum virum, dominum* IACOBUM

POEMERUM, Senatorem Reip. Noribergensis & Scholarcham dignissimum, nobis abstulit, immedicabili vulnere patriæ & hujus Academiæ, quæ inter cæteros Patronos & Mecænates amplissimos ac nunquam satis laudatos (quos divina Clementia diu nobis conservet incolumes) de hoc Scholarcha mirificè sibi gratulabatur, eóq; exultabat unicè, ac sibi videbatur felix: idcirco quidam studiosus, officii & acceptorum beneficiorum memor, cras horâ IX. oratione funebri parentales faciet exequias. Ad hanc audiendam, illustrem & generosum dominum Baronem, reverendos, clarissimos & doctissimos d d. Professores ac Præceptores, nobilissimos & ornatissimos dominos studiosos, ut dictâ horâ in Collegio confluere velint, amanter invitamus & rogamus: ídque in honorem defuncti meritissimi, familiæq; superstitis solatium. Dabimus verò & nos operam, ut hujus humanitatis & benevolentiæ vestræ mores esse intelligatis. B.V. P.P. Altorphii, die purificationis Mariæ, ANNO reparatæ salutis CIↃ IↃ CVIII.

ORA-

# ORATIO.

SINGULARI cum attentione si considera-
mus rerum universitatem, inveniemus, no-
bilissimi, amplissimi viri, Scholarcha, Se-
natores laudatissimæ Reip. Norimbergensis
præstantissimi, hospites gratissimi, magnifi-
ce domine Rector, illustris ac generose domine Baro, re-
verendi, clarissimi, doctissimi domini Doctores & Pro-
fessores, Præceptores ac Benefactores in æternum colendi,
studiosi nobilissimi, lectissimi, amici integerrimi, nullū es-
se animal, quod tantis laboribus, tantis curis ac solicitudi-
nibus, ac tam tardè formetur, perficiatur, nascatur, quàm
miserum hominem. Nam si nos ad illius ortum convertā-
mus, quid illius nativitate periculosius? Animantes, quan-
do nascuntur, sine interitu matrum progignuntur. At nos
miseri mortales, antequam videmur nati, fastidio doloríq;
sumus: ipso partus tempore & nobis & matribus pericu-
lum creamus. Bruta animalia, cum ex utero elapsa exci-
dunt, si minus patres, à quibus procreata sunt, at matres sal-
tem agnoscunt. In hominibus tantum abest ut idem fiat,
sed potius ibi rationis & sensuū nullus est usus; lucē enim
quando aspiciunt, ipsam à suppliciis auspicantur: alimen-
torum necessariorum notitia destituuntur. Animalia verò,
quantumvis pusilla, matris ubera lactis, aut campos pabuli
gratia quæritant, aut è fimeto cibum eliciunt, & ad fontes &
flumina potandi gratia se conferunt: ídque non temporis
progressu ab animali edocta discunt, sed statim simul at-
que nata sunt, quæ necessaria, cognita ac perspecta habent.
Non ita felices, quando nascuntur, homines existunt, sed
edere, bibere, ambulare, se vestire, poscere, quęrere nescien-
tes, &, quod maximum, vix adpetere lactis alimentum sci-
entes ac volentes. O miseriam humanæ naturæ! Singulis
animalibus à naturâ suâ concessa sunt tegumenta, quibus
eo facilius calorem depellere possunt ęstivum, & frigus per-
ferre hybernum.

Hęc verò omnia à nobis desiderãtur, qui nudi & nascimur & morimur, ne unicam quidem nobiscum vestem vel adferentes vel auferentes: & si, vitâ progrediente, veste aliqua uti velimus, ab iisdem pelles lanámque petere, in iísq; operam & industriam exercere, necesse habemus. Mirum igitur profectò non esset, si hæc & infinita alia enumerari audiamus, fateri, nihil æquè miserum destitutúmq; nascendi conditionem producere, quàm hominem. Si perpenderemus corruptelam ex qua formati, immundiciem de qua generati sumus, molestias innumeras cum quibus nascimur, laborem immensum quo educamur, dolores innumeros cum quibus vívimus, &, quod caput est, periculum ingens cum quo moriendum est, futurum esset, ut in hac meditatione mille caussas mortem optandi, ac ne unam quidem prolongandi vitam inveniremus. Unde non immeritò cecinit vir clarissimus, de literis literatísque meritissimus, Joachimus Camerarius:

*Non natum esse loco primo notabile & illud,*
*Non vidisse facis lumen Apollineæ.*
*Proximum huic, natum citò trans Stygis ire paludem,*
*Pulvereóq; tegi corpus inane solo.*
*Nam desiderio vitæ non tangitur infans,*
*Et necis ex omni parte dolore vacat.*

O miseram & fragilem humanam naturam! o infelicem vitam! Quid vitam dicimus, cum mors potius dicenda sit, quam pro vitâ mortales habent? Quot enim, clarissimi viri & magni principes futuri, in fascia mortui sunt? Quot dulcis vitæ exortes, & ab ubere raptos, abstulit una dies, & funere mersit acerbo? Quid referam casus innumeros extrinsecus homini formidandos? imbres, tempestates, alluviones, tonitrua, grandines, fulmina, motus hiatúsq; terrarum, oppressiones ruinarum, tot venena fruticum, aurarum, serpentum ac ferarum? Quæ incommoda patiuntur navigantes? Quæ terrâ peregrinantes? Quis, ubicunq;

con-

consistat, non inopinatis eventibus subjacet? Quid videtur sedente securius? Sed tamen de sella, in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos maximus, & mortuus est. Quibus omnibus admonemur, rerum humanarum celerem esse commutationem; neque in nobis situm, ut res perpetuò secundæ sint, verùm utcunque fortunæ libitum fuerit, ita vel secundis rebus paulisper delinimur, vel adversis adfligimur, & omnia veluti æstuario quodam fluxu accedunt atque recedunt refluxu. Sed tristissimum visu est, tanto cum labore hominem educari, tanto sumtu statum adsequi honoratum, &, cum minimè putamus, ita perire, ut nulla horum supersint aut perennent vestigia. Id quod paucis jam elapsis septimanis magno experti sumus malo, nobísque exemplum recens ampliſſimi viri, domini JACOBI POEMERI, Senatoris ac Scholarchæ laudatissimi, ob oculos versatur, cujus morte damnum maximum Reipublicæ Norimbergensi allatum, & huic Academiæ, quam unicè amavit, dolori est. Civem enim amisimus sanguine nobilem, in prosperis moderatum, in adversis fortem, in ærumnosis patientem, in negotiis industrium, in consiliis prudentem, erga amicos fidelem, Reipub. amantem, & quod caput est, quódq; maximè admiratione dignum, qui nunquam vitâ quenquam offendit, nunquam linguâ quenquam læsit. O mortem acerbam & immaturam! O causſam maximi doloris! Si tempus ullum unquam ad luctum nos revocare debuit, jam certè non leviter lacrymare, sed tanquam fontes lacrymarũ profundere debemus. ¶ Cum autem perspicuum sit, fletum nostrum nihil omninò prodesse posse, potiùs animos & cogitationes nostras à lacrymis ad optimè defuncti POEMERI honestissimæ vitæ considerationem erigamus, & immortali DEO gratias agamus, quòd talem nobis dederit Scholarcham, quem doleamus ablatum. Adesteigitur, quæso, animis omnes, & paulisper mecum fletum & lacrymas cohibete, dum breviter ea recenseo, quæ fuerunt in defuncto domino POEMERO nostro summoperè laudanda, ut ad eius potius imitationem animos excitemus,

temus, quàm ipſum jam fato functum diutius lugeamus. Ut autem rem ipſam aggrediar, & ad defuncti laudes accedam propius, nullus dubito, quemquam ex vobis, auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, adeſſe, qui non ſtatuat in laudando primam rationem à patriâ, nutriculâ dulciſſimâ ſuaviſſimâque, imò potius ab ipſis parentibus, ſecundum Eloquentiæ Romanæ conſulem, eſſe exordiendam. Eſt enim hęc omnium antiquiſſima & ſanctiſſima ratio, quæ ſi cui honeſta, clara, bonísque legibus & inſtitutis formata cõtigerit, habet profectò in quo triumphet, & cur ſeſe cæteris mortalibus beatum ac felicem prędicet. Nam etſi aliæ regiones & urbes aliis (ſive occulta quadam vi naturę, ſive loci ac cœli ratione) virorum ingenio & virtute præſtantium feraciores ſunt: multũ tamen momenti habet, & ipſe cardo felicitatis humanæ in eo vertitur, ibi ut naſcaris, ubi à primis annis rectè ad ſapiẽtiam & virtutẽ educari, & omnium virtutum exempla laudabilia quotidiè pænè ante oculos habere poſſis: id quod POEMERO, viro nobiliſſimo, rerúmque politicarum uſu pręſtantiſſimo, cùm ipſius, tùm publico quoque bono contigerat.

Natus enim fuit NORIMBERGÆ, ea civitate, quæ inter cæteras omnes totius orbis tanquam Sol quidam fulgentiſſimus inter minora ſydera relucet. Ex hac enim urbe ſapientiæ principes innumerabiles exiere, in hac, ut cum Cicerone loquamur, alta eſt atque nutrita ratio; ad hanc urbem, tanquam ad bonorum omnium fontem, populi ac nationes undique confluunt, & quicunque aliquid videre ac cognoſcere cupiunt, huc ſe conferunt. Sive igitur aliquis ad literarum cultum, ſive ad politos hominum mores, opes ac ſplendorem urbis reſpiciat, non injuriâ exemplar civitatis benè conſtitutæ Norimbergam perfectiſſimum adpellaverit.

Commodùm autem frui vitæ hujus uſurâ ſub id tempus cœpit, quo jam reſtaurata erat religio ſincera ac incorrupta, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, die vigeſima ſexta menſis Febr. Eo, inquam, tempore natus

fuit,

fuit, ut, quid ad ſummam dignitatem felicitatémq; conſequendam illi deeſſet, non adpareret. Nam toto vitę tempore, quod rariſſimum omninò eſt, non modò majoribus ſuis, qui & honoribus & rerum geſtarum gloriâ ſemper maximè floruerunt, ſimilis fuit; ſed etiam eorum memoriæ laudibúsque maximam lucem attulit.

Parentibus, & honeſtatis, pietatis, ac nobilitatis laude florentibus, Scholarcham hunc natum eſſe accepimus. Patrem quidem perſpectâ vitæ integritate virum, WOLFFGANGUM POEMERUM, Secretarium Duumviralem quondam Reip. Norimbergenſis laudatiſſimum habuit; Matrem verò fœminam nobiliſſimam, omnibus virtutum ornamentis, quæ in hoc ſexu prædicari poſſunt, condecoratam, ANNAM TUCHERIANAM. Quod quam vim habeat, quámque animos non degeneres ad res magnas & majorum ſuorum gloriâ dignas inſtiget, excitet, impellat, nemini, credo, eſt obſcurum, & exempla adduci poſſent plurima. Verùm ea non requiritis, & hic POEMERUS noſter reipsâ oſtendit ſatis, quàm non degeneri ſanguine aut projecta ſtirpe ortum duceret.

Quemadmodum autem illi, qui excelſa, magnifica, ſpatioſa ac ſpecioſa extruere volunt ædificia, in ponendis fundamentis ſummam adhibere ſolent curam & diligentiam: (ubi enim minus ſolida ſunt fundamenta, periculoſæ ſunt ſuperſtructæ fabricæ. Ædes enim, ſi ruinoſa habeant fundamenta, ab impulſu etiam leviuſculo ſubvertuntur & evertuntur:) ſic eadem ratione parentes, qui aliquando liberos ſuos ad dignitatis & honoris faſtigium evehere ſatagunt, facere debent, ut à primis ſtatim unguiculis, ſi qui benè nati fuerint, rectè educent, alioquin facilè in pejorem partem deflexuros. Paucos enim, ut ait Vegetius lib. 30. viros fortes natura procreat, bonâ inſtitutione plures reddit induſtria.

Adfectum igitur paternum erga filium in tenella ætate WOLFFGANGUS POEMERUS hunc declaravit, ut, cum veræ religionis ac pietatis eſſet ſtudioſiſſimus, unicè ſtu-

duerit, & votis expetierit omnibus, ut illi pietate quàm similimus evaderet filius. Itaq; cogitans illud Aquinatis poëtæ dicentis:

*Gratum est, quod patriæ civem populóq; dedisti,*
*Si facis ut patriæ sit idoneus, utilis agris,*
*Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.*

Plurimum enim intererit, quibus artibus aut quibus hunc tu moribus instituas. Cúmq; sciret parens, hominum ingenium à labore esse proclive ad libidinem, ad malum pleno ferri cursu & impetu, tantóq; magis quanto quisq; est ingenioſior, nisi excolatur (mundus enim diversorium est Circes, in quo nisi aures cera, ut Ulysses, occludamus, in scopulos medio nos ducet in æquore navis) idcirco tam intra domesticos parietes, quàm patriæ literario in ludo Laurentiano ita erudiri eum curavit parens, & præceptoribus fidelibus demandavit, ut ornamento & splendori eum futurum familiæ illi statim eluceret. Nam ex omnibus virtutibus heroicis præstantissima judicatur ea, quæ beneficium aliquod in Remp. complectitur, & hoc tempore ad veram pietatem & futuram vitam assuefieri debent liberi. Venaticus enim, ex quo cervinam pellem latravit in aula, militat in sylvis catulus, ut ait Horatius. Porrò perpendens parens, domesticâ institutione non perinde feliciter proficere filios solere, præsertim ferventiores & studiorum cupidiores, paternum in illum animum ulterius declarare cupiens, ad uberiorem, pleniorem & perfectiorem vivendi discendíq; rationem consequendam, cum annum ætatis complevisset undecimum, eum Altorphium ablegavit; in quo laudatissimam Romanorum consuetudinem secutus est. Olim enim, auditores præstantissimi, Romanis lex erat sanctissima, & consuetudo longo usu confirmata, ne quis civis, qui Romana libertate frueretur, filium, ubi decimum ætatis annum excessisset, per plateas vagabundum discurrere pateretur. Mos siquidem erat Romanis, ut ingenuorum

nuorum filii usq; ad secundum ætatis annum lactarentur, ad quartum usque legendi, ad octavum scribendi, ad decimum Grammaticæ initiis imbuerentur. Elapso decennio, adolescentes necesse erat certum opificium discere, animúmque vel ad studia literarum, vel ad res militares adjungere, ut ne Romæ ociosi vagarentur. Nam ea discere oportuit juvenes, ut refert Laertius, quæ viris usui futura essent. Et quidem rectissimè; pueritiæ enim tempus studiis est omnium aptissimum atque accommodatissimum. Tenella ætas, cũ instar cerę mollis fingi & refingi, instar arbusculę tenerrimę flecti & reflecti possit, non difficulter & addiscit & memoriâ comprehendit ea omnia, quæ scire & facere operæpretium est. Nec ulla vitæ humanæ pars vel tolerantior laboris, vel disciplinæ capacior est. Et secundum Phocylidem in præceptis moralibus: Cum adhuc tener gnatus, generosis instruendus est moribus.

Cum jam huc perveniſſet, ſtatim in familiam D. GLACIANI, Oratoriæ facultatis, piæ memoriæ, Profeſſoris præſtantiſſimi, adſcitus, & inter eos, qui domeſtici & familiares tanti viri erant, educatus maxima ex parte fuit SCHOLARCHA noſter. Et hanc quidem educationem ipſum in præcipua parte felicitatis ſuæ in hac vitâ poſuiſſe, ſæpiſſimè ex ore eius audiviſtis vos Profeſſores clariſſimi. Cum igitur educatio arx ſit & caput veræ virtutis, & ſolidæ gloriæ conſequendæ initium, quî fieri potuit, ut, benè jactis fundamentis, tam præclara laudabilium ſtudiorum opera non ſuperſtruerentur?

Ingreſſus Muſarum domicilium ſummam dedit operam, qua ratione quóve modo paternis admonitionibus daret locum, conſiderans diligenter quantis ſumtibus hîc aleretur, quantis laboribus quantíſque curis à ſuis præceptoribus inſtitueretur, ac bonis moribus informaretur: illa etiam perpendens, quæ M. Tullius exordio ſuorũ officiorum non obſcurè à literarum cultoribus requirit, unum ut præceptorem doctiſſimum docentem audiant, alterum ut eum diu audiant, tertium ut in Rep. præclara illum audi-

ant: ita enim fieri posse, ut Doctor scientiâ, Resp. verò exemplis discipulum augeat. Quod consilium sibi amplectendum maximè proposuit dominus POEMERUS, ut eò doctior & politior domum redire, nec solum eruditionem, verum etiam humanitatem & alias virtutes (de quibus inferius nobis agendum erit) reportare posset. αἰ χρὴ γὰρ δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Tanto autem flagravit discendi desiderio, ut non solum per unum aut alterum annum studendi caussa hîc commoratus fuerit, sed totum ferè septennium: quo temporis spatio ita se gessit, ut non solum omnibus condiscipulis, quos eo tempore habuit, acceptus atq; gratus fuerit, sed etiam suâ diligentiâ & assiduo studio omnes facilè superaverit. In pleno enim studiorum curriculo, ad solidam virtutem & eruditionem properans, quamprimũ ad discendas artes animum adplicuit: & cum heroico quasi ingenio præditus esset, judicióque non præpedito valeret, celeres quidem progressus fecit, ut cum æqualibus non, quod dicitur, velis remísque navigaret, sed & quamplurimos multis parasangis post se relinqueret, his præiret & eos anteverteret. Imò verô, cum GEORGIUM GLACIANUM, virum sempiternâ memoriâ digniſſimum, & de hac nostrâ Academiâ, imò etiam ferè de totius Reip. Norimbergensis laudatissimæ Senatoribus omnibus prę clarè meritum, præceptorem haberet, ejusdémque lectionibus interesset frequentissimè, & ab eo diligeretur maximè; tantos progressus in studiis inferioribus fecit, ut laudabilis suæ diligentiæ in studiis adhibitæ luculentum reportaret testimonium. Ut autem mens humana intelligit, nos omnes, & cuncta, quæ in hac visibili cœli terræque machina continentur, non frustrà condita esse, sed omnium actionum nostrarum ad archetypum & architectum nostrum referenda esse principia: sic & finem certum vitæ proponendum sibi arbitrabatur SCHOLARCHA noster, in quo totus perseveraret, viveret & immoraretur, ac ita actiones suas omnes compararet, ut, huius vitæ defunctis aliquando periculis, commearet ad beatitudinem illam perennem,

nullis

nullis temporum metis ac finibus circumſcriptam, atque ita finem ſtudiorum direxit ſuum, ut ad ſacratiſſimarum legum ſcientiam ſemet totum converteret, & huic uni inhæreret maximé. Quo in ſtudiorum genere cum & re & nomine Jurisconſulti, Doctoris JOHANNIS THOMÆ FREIGII, piè defuncti, & aliorum Profeſſorum, quos eo tempore hæc Academia habuit, opera uteretur: & non tantum publicè docentes audiret, ſed multò magis ex illorum familiaribus ſæpius factis congreſſibus judicium informaret ſuum, & legum adplicationes ad uſum fori addiſceret, factum eſt, ut illarum controverſias perciperet ille rectius atque melius. Ante omnia enim (ut Quintiliani verbis utar) cui in publica celebritate vivendum eſt, aſſueſcat jam à tenero non reformidare homines, neque illâ ſolitariâ & velut umbratili vitâ palleſcere. Attollēda mens ſemper eſt, quæ in huiuſmodi ſecretis aut langueſcit, & quendam velut in opaco ſitum contrahit, aut contra tumeſcit inani perſuaſione. Neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat: adde quòd domi ea ſolum diſcere poteſt, quæ ipſi præcipientur, in ſcholis etiam quæ aliis, audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicuius objurgata deſidia, proderit laudata induſtria, unde excitabitur æmulatio, turpe ducet cedere pari, pulcrum ſuperaſſe maiores. Veterum memoriâ ſi præclarum fuit, Athenis, in diſciplinarum omnium altrice, & totius Græciæ celebratiſſimæ ac fœcundiſſimæ procreatrice, ſtudiis operam dediſſe, quis, quæſo, non magnifaciat, ſe diſcipulum & auditorem fuiſſe talium ac tantorum virorum ſedulum & diligentem, maximè ubi felici ſtudiorum exitu, ut quidem huic domino POEMERO accidit, ad metam pervenerit optatam, honorésque & opes conſecutus ſit? Nam certò æſtimandum eſt, non fortè fortuna fieri, ſi quis bonos in primis annis conſequatur præceptores, ingenii ac morum informatores egregios. Expertum enim eſt, & cum ſtomacho ſæpè, non plebeiorum ſolùm educationi malè vulgò conſuli, quibus tamen, quòd vim literarum neſci-

unt, ignoſcendum fortè ſit: ſed & magnorum hominum filios inſulſo alicui Phaëthonti, aut alioquin imperito & ignoto homini, qui fœdis nonnunquam vitiis deditus ſit, temerè committi; ut non mirum ſit, vel hoc ſolo nomine præſtantium virorum liberos noxæ, quod vulgò dici ſolet, eſſe. Quomodo enim alios delinquentes arguent pędagogi, cum iiſdem delictis ſint quàm maximè obnoxii? Qua ratione virtutem aliis commendabunt, quam ipſi averſantur & refugiunt peſſimè? Hi, ſi quid moneant, ſurdo narrabunt fabulam, audiéntque continuò illud: Tu ubi adbibiſti plus paulò, perii quæ mihi narras facinora: vel illud, quod cancer apud Æſopum matri, hortanti ut rectâ viâ incederet, reſpondiſſe fertur: Faciam, mea mater, ſi te idem facientem prius videro: ut hîc cum Thoma Sagittario ex tractatione de præparatione adoleſcentis loquar. Nihil autem mirum, ſi poſtmodum feratur equis auriga, nec audiat currus habenas. Nihil mirum, ſi virtutis & honeſtatis contemtio, Rerumpublicarum everſiones, ſtupra, adulteria, ſcelera denique omnia proficiſcantur. Huius pravi inſtituti quæ cauſſa ſit, vobiſcum, auditores omnium ordinum ſplendidiſſimi, diſquiratis. Ego ſicco pede præteribo, ut redeat ad id, à quo paululum digreſſa eſt, oratio.

Quemadmodum autem non ſatis eſt, ſi iter in animo habeas, expeditè limen egredi, ſed ulterius & ad metam contendere oportet: ſic SCHOLARCHA noſter, abſoluto linguarum ac aliorum ſtudiorum ſuorum curriculo, non ſtationarius fieri voluit, ſed cenſuit continuandum eſſe ſtudium, ſi quid vellet proficere, cogitans illud Scaligeri: Nihil eſſe beatius quàm ſcire, nihil divinius quàm docere, nihil propius veræ felicitati quàm diſcere. Et ad rectas ſententias animo imbibendas, & mores informandos, cum conducere intelligeret peregrinationem maximè: ad alias etiam Academias perluſtrandum, ac excolendum ingenium, TUBINGAM primò profectus. Et quidem rectè. Quomodo enim morum elegantiam addiſcemus tandem, & nobis comparabimus, ſi ſemper fornaci aſſideamus noſtræ,

ſtræ, & tanquam claudi ſutores domi deliteſcamus, aut ceu cochleæ cornua noſtra nunquam extra teſtam exeramus? Tandem, ubi ita viſum fuit parentibus, relictâ TUBINGA, ad exteras regiones ſe contulit, intelligebant enim parentes, quo ſtudium majus & diuturnius, eò & ad prudentiæ uberiorem copiam conſequendam facere melius, & demum multo prudentiam ſurgere ab uſu. Humiles enim iſtæ ſunt & plebeiæ animæ, quæ domi reſident, & adfixæ ſemper ſunt ſuæ terræ. Illa divinior eſt, quæ cœlum imitatur, & motu gaudet, ut loquitur Reipublicæ literariæ princeps, Juſtus Lipſius, lib. 1. Epiſt. 22. Eſt enim hæc res profectò homine libero digniſſima: varias luſtrare provincias ac regiones, celebres inviſere civitates, multarum nationum mores ac vitas ediſcere, ſinus, portus, promontoria, montes, flumina, maria, Cherſoneſos, inſulas, loca denique quæcunque ſunt inſignia, diligentiſſimè cognoſcere. Nihil enim hac prudentiâ fieri poteſt ornatius. Hinc inter alia encomia, quæ ab Homero, poëtarum Sole, Ulyſſeæ prudentiæ tribuuntur, non eſt poſtremum illud, quod, ut ipſe ait, πόλλων ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Unde ſæpius ab eodem ſalutatur πολύτροπος, quòd varias eáſque remotiſſimas regiones populóſque non ſolum viderit, eorundémque mores obſervârit, hiſtorias linguásque indagârit: verum etiam, ubi uſus ſic poſtulaſſet, eadem illa ad ſuum ſuorúmque commodum uſurpare ſciverit. Et certè, ſi omnem hanc rem ad rectæ rationis lancem altius examinare volumus, nihil verâ & legitimè inſtitutâ peregrinatione honeſtius, nihil utilius eſſe reperiemus. Honeſtatem demõſtrant tot Clariſſimorum, ſive priſco, ſive noſtro ævo ſuſceptæ peregrinationes: confirmat honeſtiſſimus ſuſcipiendorum periculorum finis, quem ſibi propoſuerunt: convincit laudatiſſimus boni publici amor & cupiditas, quod unum tantis ac tam periculoſis itineribus ivêre petitum. Ut enim illos ſolùm, qui à ſapientia olim, hodiè à ſapientiæ ſtudio philoſophi adpellantur, mea leviter

ter attingat oratio; Quis neſcit divinum illum Platonem, magnum Pythagoram, Democritum aliósque quamplurimos, relicto genuino illo artium & doctrinarum domicilio, Græciâ, non ad cultos & eruditos populos ſolùm, verum etiam ad ipſos Barbaros peregrinatos fuiſſe. Quos quidem ſapientiſſimos viros, ſi de cauſſa tantorum itinerum, tantorúmque periculorum, interrogemus, haud dubiè tantam in ſe alacritatem, ſummam illam diſcendi cupidinem excitaſſe reſpondebunt. Neque enim hîc laudem merentur ii, qui tantummodo vagantur, luſtrant, diſcurrunt, quod cuiusvis eſt: ſed qui norunt diſquirere, indagare, hoc eſt verè peregrinari.

Sed dicat quiſpiam, nulla fortaſſis utilitas ex tali peregrinatione erit expectanda? nullum inde commodum ad Remp. redundabit? Sed potius mali mores ex aliis regionibus huc advehuntur? Equidem ut non negandum, quin eiuſmodi quandoque evenire poſſit: ita illud omne ab animo, ad veræ pietatis & honeſtatis ſtudium informato, quàm longiſſimè abeſſe omninò ſtatuéndum. Ut enim Solis radii, per obſcœna & lutulẽta loca meantes, propterea non obſcurantur: ita nec mens proba improbis iſtis moribus, quos interdum videre aut audire cogitur. Verum cum, ut dixi, peregrinari nihil aliud ſit quàm diſcere: diſciplina autem omnis in prudentiæ potiſſimum ſapientiæque & morum ſtudio ſit occupata, ſequitur, peregrinationem ritè ſuſceptam eadem illa ſpectare debere. Quid enim certius eſt quàm inſpectionem tot populorum, inſtituta illa gentium tam varia, ritus moréſq; hominum, formas Rerumpubl. ac civitatum, permagnam vim habere ad judicium & prudentiam. Sunt enim ſuæ quibusvis locis ac regionibus peculiares hiſtoriæ, mores, bella, caſus, eventus magis inſignes: quæ omnia ſi ſint non ſolum viſa, ſed & notata, retenta, & collata quadam examinis lance, non poſſunt non augere civilem illam prudentiam. Scientia autem quin & ipſa peregrè inveniri poſſit, nullus dubitat. Per naturam enim ita comparatum eſt, ut nulla tam fœcunda

terra

terra sit, quæ omnia unà habeat aut ferat: suum cuique peculiare lumen est, quo præfulgeat. Elegantia denique morum & comitas quin apud exteros potius quæratur ac in Germania, nemo est qui nesciat. Unde enim melius disci potest, quod deceat in cultu externo, vestitu, gestibus, qui lepores, quæ veneres in sermone, quàm à politioribus illis gentibus, Gallis, Italis, Hispanis, Anglis, ut taceam interim laudatissimum linguarum studium, quæ commodissimâ & expeditissimâ viâ suis in provinciis & addiscuntur & exercentur. Ex quo patet, peregrinationes, ritè institutas, non solum honestissimas, verùm etiam utilissimas esse.

Hisce rationibus motus est dominus POEMERUS, & probè etiam perpendit Isocratis illud, omnibus, qui gravẽtur suscipere molestias ad viros præclaros audiendos commeandi, saluberrimum: μὴ κατόκνη μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν ἱκανοὺς ἐπαγγελλομένους. αἰσχρὸν γὰρ, τὰς μὲν ἐμπόρους τὰς ἀκάρπους πελάγη διαπερᾶν, ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν· τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς ἐπὶ γῆν πορείας ὑπομένειν, ἀπὶ τῷ βελτίω κατασκῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν. Sicut autem Sagittarii, si nullo præfixo scopo temerè suas emittunt sagittas, aërem pulsant & ventos, metam, nisi casu fortè, non attingunt: sic quî tandem & hi aliquid proficient, qui temerario duntaxat motu & raptu potius ad extremos etiam Indos volitant, incerti quo & cur ferantur. Et ut in naturâ nihil est frustra: sic & in omnibus actionibus hic noster SCHOLARCHA certum sibi proposuit finem, sempérque unicè hoc studuit, qua ratione sapientiam & prudentiam sibi comparare posset: quæ duo quàm egregiè sit consecutus, declaravit adventus in patriam dulcissimam, & ad dignitatum ac honorum culmina promotio & experientia testis, & maximum, quod ex illis percepit hactenus patria, commodum. Non solùm enim regiones exteras ingressus, sed etiam omnia, quæ illi aliquando possent esse utilia, annotavit, observavit, memoriæ mandavit: ac tandem, cum sederet ad Reip. Norimbergensis gubernacula, ad vitæ usum accommodavit, & apud alios, quoties dabatur de ejusmodi rebus

colloquendi occaſio, tantâ cum gravitate ac verborum pondere elocutus eſt, & repræſentare aliorum populorum mores, Rerumpubl. formas, inſtituta gentium varia, ritus moréſque hominum ita valuit, ut juraſſes, regiones ipſas tibi ante oculos eſſe poſitas; cuius rei mihi hac in parte teſtes poſſunt eſſe locupletiſſimi clariſſimi domini Profeſſores.

Elapſo triennio ex Italia in patriam rediens Vir Ampliſſimus JACOBUS POEMERUS, perceptis ex priore peregrinatione utilitatibus, majorem etiam partem Germaniæ perluſtravit. Et ut animus humanus, ſi ſemel alicujus rei præclaræ dulcedine capitur, non quieſcit niſi prius adeptus fuerit, ſuas res etiam in illo itinere ita inſtituit, ut, exantlatis itinerum laboribus, redux Reipub. emolumento, parentibus honori, & toti denique civitati laudi eſſe poſſet, quæ ſpes illum nullo modo fefellit. Poſteaquam enim reverſus magnâ cum gratulatione multorum exceptus fuit, multi præclaram illius doctrinam & profectus ſuſpiciebant, admirabantur & magnifaciebant. Hinc videre licuiſſet, qua fide, qua vigilantia & dexteritate, reverſus negocia commiſſa tractârit, qua contentione animi omnibus prodeſſe & commodare ſtuduerit, qua moderatione omnibus, ipſius & opem & auxilium implorantibus, præſtò fuerit, adeò ut nullo non loco & tempore, ſuſcipiendo labores quoſcunque, officio (de quo paulò inferius) functus ſuo ſit, ut inde maxima laus ad eum redundarit, commodum & utilitas publica plurimorum emerſerit atque reſultârit. Cúmque in hoc virtutis & ſapientiæ ſtudio, tum privatim vivendo, tum publice agendo, nomen eius inclareſceret plurimùm, tanto ſibi primates adjunxit favore, ut ob elegantiam morum & judicii dexteritatem certatim qui ejus promovendi curam ſuſciperent.

Cum etiam intelligeret prudentiſſimus vir, conjugio Rempublicam ſalvam & incolumem conſervari, augeri, atque legitimâ progenie honeſtè propagari, imò ſine illo nec ſtare quidem poſſe, multò minus vigere & accreſcere, matrimonium contraxit: Quod etiam ei tam felix contigit,

git,ut ne voto quidem melius ſibi fingere potuerit. Conjugem enim invenit ſuo ingenio & moribus aptiſſimam, Barbaram,ampliſſimi viri ac ſenatoris olim Reip. Norimbergenſis,MATHIÆ LÖFFELHOLTZII, filiam, cum qua etiam amantiſſimè & ſuaviſſimè annos viginti & aliquot menſes vixit, ex eâque filios duos, WOLFFGANGUM-JACOBUM & ALBERTUM, adoleſcentes egregios & ad optima quęque natos,unámque filiam,BARBARAM-SOPHIAM, moribus bonis exornatiſſimam, genuit, quos ſuperſtites cum matre reliquit.

Hîc jam non dicam,auditores præſtantiſſimi, quomodo ſe in familia (quæ quaſi parvæ Reip. imaginem refert) regenda præſtiterit. Nihil dicam de prudentia qua uſus, de gravitate ac moderatione, ne digreſſio præter rem fiat, & à propoſito longius abducatur oratio, & opus Iliade majus naſcatur.

Cum autem ingenio & mentis acumine admirabili, judicio recto, memoriâ expeditâ & fideli prædítus eſſet, laboris ſupra modum patiens, & in rebus ſubitis,quod Thucydides Themiſtocli tribuebat, promtè & ſine hæſitatione conſilia optima inveniret, de futuris εὐστόχως & prudenter conjiceret,in præſentibus ſe feliciter expediret, ignota diligentiſſimè inquireret,ſic ut nihil tam obſcurum aut dubium eſſet,quod ipſe vel nō erueret, vel quaſi è ſpecula multò antè videret, fiebat omninò, ut ſtatim à nuptiarum ſolennitate peractâ in judicium, ſeu, ut vocant,Scabinorum numerum cooptatus fuerit. Huic autem functioni omne ſuum ſtudivm, operam & laborem, adeóque ſe totum devovebat, utpote qui ex Platonis ad Architam epiſtolâ didiciſſet,neminem ſibi eſſe natum, ſed ortus noſtri partem ſibi vindicare patriam, partem cognatos, partem reliquos amicos. Quare cum in eò totus eſſet, ut vitam mortalium publicè & privatim ſuo loco fulciret, háncque προαίρεσιν ad illud officium & ſingulos privatim juvandos adferret,non poterat non ſummâ omnes, qui vel operam vel conſilium eius expeterent, humanitate ac benevolen-

tiâ complecti; ita quidem, ut nemo ferè, qui æquum peteret, animo triſti, fronte contractâ ab eo diſcedere viſus ſit. Omnes enim ipſe non benignè ſolũ audivit, ſed & ita comiter reſponſum dedit, ut, in tanta negociorum & interpellantium multitudine, blanda & perpetua illa adfabilitas, ac patientia ſumma, multis admirationi eſſet, quo fiebat, ut domus eius non tam humiliter natis, quàm præclaris parentibus ortis hominibus eſſet perpetuò refertiſſima. Ibi viſi ſunt alii intrantes, alii exeuntes, alii hunc circumſiſtentes, quibus omnibus facilimè celerrimeque ſatisfecit. Ex quibus, quanta in hoc viro conſilii copia, eloquentiæ vis, laborum tolerantia, & quàm conſtans humanitatis & comitatis ſtudium fuerit, intelligi nullo negocio poteſt.

Quemadmodum autem virtus & doctrina in obſcuro eſſe non poſſunt, & mediocres honores tempus auget, immodicos abolet, ut prudenter Theopompus Pyliis reſcripſit: ſic POEMERUS noſter ſuper pauca fidelis, ſuper multa conſtituendus, diutius latere non potuit.

Ad dignitatem Senatoriam omnium bonorum ſuffragio ac calculo fuit evectus. Hinc veniendum erat in Senatum, ubi de maximis civitatis rebus eſt agendum, veniebat illicò optimarum ſententiarum autor.

Demandabatur illi præterea eleemoſynarum præfectura, ut laboris pleniſſima, ſic laudum ornamentis abundantiſſima. Injungebatur illi etiam cura ſylvarum. Nihil hîc de SCHOLARCHATU & aliis muneribus multis, quibus per aliquot annos ſummâ cum laude præfuit, commemorabo. Quis igitur non miretur, unũ hominem tot rebus támque diverſis ſufficere potuiſſe? Suffecit: &, quod admirabilius eſt, poſt tot labores & vigilias, promtior & alacrior continenter adparuit. Ex quo eſt manifeſtum, quantis virtutibus hunc virum inſtructum fuiſſe oporteat; de quibus, ut virtutis ingrediamur theatrum, quæ in officiis cujuſque mores & ingenium prodit, &, ut ex ſapientibus quidam dixit, virum demonſtrat, breviter aliquid dicam; &, ubi quædam de illius diſceſſu ex hac miſera & conclamatâ

mun-

mundi senectâ ad cœlestem & sempiternam vitam dicta fuerint, perorabo: id quod dum facio, quæso vos, auditores præstantissimi, pro incredibili humanitate vestra, ut me, sicuti facere instituistis, benevolè audiatis.

Hisce jam in dignitatibus ac honorũ fastigiis constitutus, atque divinitus à DEO Optimo Maximo collocatus dominus POEMERUS, omni studio in id incubuit, ut inprimis DEO Optimo Maximo satisfacere, quantum vires humanæ imbecillitatis ferrent, posset, non ignorans magistratus dignis virtutibus anteire universos debere: quum plura possideant, quæ amittere possint, quàm universi. Ideóque magis quàm cæterorum quenquam oportere DEO servire, secundum illud Nazianzeni: Qui magna cõsecuti sunt, magnis etiam DEO sunt obstricti nominibus. Quod, ut & alia quamplurima, optimè secum perpendens amplissimus noster POEMERUS, in eo desudavit maximè, ut, quantum fieri posset, quàm proximè ad ipsius imaginem, cuius umbram in hac terra gerebat, accederet.

Neminem autem sine vera pietate veram posse habere virtutem, luce meridiana est clarius. Ut autem metallorum omnium præstantissimum est aurum, & magnorum sæpè laborum præmium: ita præclaræ pietatis actiones cætera omnia quæ sunt in homine superant, atque in eis omnium virtutum laudes consistunt. Omnium enim primum, ut erat diligentissimus pietatis ac religionis cultor, quæ ad DEUM réque divinas pertinebant, ea sibi curæ & cordi intimè esse volebat. Eum enim in finem ficti & inspirati à DEO sumus, non ut cœlum videremus & Solem, sed ut horum artificem coleremus. Quàm diligentissimè dominus POEMERUS hoc observaverit, ex eo adparebit abundè, quod pauperibus succurrerit, afflictis patrocinatus, ptochotrophëa visitaverit, templa frequentaverit, & sacris audiendis intentus fuerit, quæ omnia quàm fideliter præstiterit, nemini arbitror esse ignotum. Et harum suarum actionum non tantum præmia recepit, quòd eas exercue-

rit, sed gloriam etiam inde consecutus, quod præclaro suo exemplo invitati alii quoque fecerunt.

Quantâ etiam diligentiâ, quàm indefesso studio & curâ munera publica sibi demandata expedierit, quámque laudabiliter ea gesserit, scit universus Reip. Norimbergensis populus. Sciebat talem se debere esse justitiâ plenum, si aliis jus administrare vellet. Unde Plinius in quadam epistolâ dicit, cum provinciæ cuidam in Africa præesset, interrogatum à se virum natu grandem, & in gubernatione spectatum, quidnam ad benè administrandam justitiam factu opus esset, respondisse: Si bonus justitiæ minister esse cupis, in teipsum exerce. Boni ac justi enim viri est, rectâ vitæ suæ virgâ metiri Rempublicam. Et porrò addidisse: Si adversus homines rectus, adversus deos purus esse vis, munere ne insolescas cave. Rempublicam administrantes, & superbiâ fastúque elati, modum sæpenumerò neque in verbis tenent, neque in actionibus servant. Hoc non solum audivit, sed & justitiæ defensor extitit acerrimus SCHOLARCHA noster. Cuius actiones per totam vitam disseminavit in omnes. Hic enim defendebat commune bonum, innocentum patrocinium suscipiebat, sublevabat ignorantes, corrigebat culpatos, virtutis amantes honorabat, juvabat orphanos, pauperibus favebat, coërcebat homines quæstui ac lucro planè deditos ac emancipatos, deprimebat ambitiosos: deniq; quod cuiq; debebatur jure, id illi reddi curabat, quíq; injustè quippiam possiderent, eos è possessione exturbabat. Cogitabat quotidiè & crebris usurpabat sermonibus, arduam sibi provinciam esse delegatam, quâ nulla gravior, nulla quæ plus ingenii, consilii, prudẽtiæ, laboris & industriæ, tàm in dicendo quàm cõsulendo requirat. Oportet enim talem virum, veluti aliquem Argum, in omnia intentum esse, providere, curare, dirigere, nunquam profundiorem oculis somnum, de sententiâ Æschyli, admittere.

Porrò præter prudentiam & circumspectionem summam, tanta in POEMERO nostro fuit ad labores promptitudo, tanta in negociis industria, ut nullum sibi diem à negociis

gociis vacuum relinqueret, facerétque omnia (ſæpè enim hoc dicendum eſt, quoniam in ejuſmodi viris rarum) non gravatim, morosè, aut animo invito, ſed promtè, comiter & voluntate ſumma. Neutram enim in ſe deſiderari paſſus fuit, quòd hanc fidei, illam humanitatis ſuæ eſſe judicaret: quam qui in rebus gerendis non adhibet, etiamſi officii quid fortè præſtet, auſteritate tamẽ omnem facto gratiam adimit, ut rectè omninò Seneca dixiſſe videatur: Beneficium, ab homine duro aſperè datum, eſſe panem lapidoſum, quem eſurienti quidem accipere neceſſarium, comedere verò acerbum ſit. A quo vitio tantum noſter POEMERUS abfuit, ut etiam nihil humanitate ac facilitate in magno & excelſo viro, & præcipuè in Senatore præſtantius inveniri poſſe ſtatueret. Ideóq; cum hoc præclarè intellexiſſet, tàm manſuetè, tàm benignè ſe non tantum erga divites & potentes, ſed etiam pauperes & abjectos geſſit, ut eius modeſtiam, facilitatem, patientiam admirati ſint omnes: amicis præterea admonitionibus fideliſſimísque conſiliis magis, quàm atrocibus minis, alios ad honeſtè rectéque vivendum impulit, & ad ſibi parendum induxit: támque comiter omnibus auxilium pollicitus eſt & præſtitit, tam faciles ad ſe præbuit aditus, tàm patiens in audiendis omnium etiam infimorum querimoniis extitit, ut ab eo nemo unquam, ſi fas erat, niſi contentus diſceſſerit.

Cupidè enim ſummi pariter ac infimi conſilia ejus ſequebantur. Ita etiam æquitate temperare juris rigorẽ ſolebat, ut, etiamſi erat maxima iraſcendi cauſa, nunquam tamen iratus ad pœnam indicendam acceſſerit, id quod etiam adparet ex illâ, quam ſemper ſepoſitam in veſte habuit, ſchedâ, cui ſequentia propriâ manu inſcripſerat verba: Tardos nos eſſe decet ad loquendum, tardiores ad judicandum, tardiſſimos verò ad damnandum. Et iterum: Priuſquam perquiſieris, ne crimineris: cognoſce primum, atque tunc increpa. Priuſquam audiveris, ne reſpondeas, & in medium ſermonem ne immittas verbum: de re, quæ te non attinet, ne litiges: & in judicio peccatorum ne conſi-

deas.

deas. O ſententiam verè auream, & dignam quam omnes memoriæ mandent.

Erat etiam inprimis felix & aſſiduus in tractationibus, ubi hæreditates controverſæ rationibus æquis cernendæ, animorum vulnera & offenſiones virorum magnorum perſanandæ, aut denique affinitates inter ſummi ordinis homines glutinandæ eſſent, quo & fiebat, ut nihil ferè hujuſmodi rerum in Norica diœceſi gereretur, quin ipſe peculiariter ut arbiter adſciſceretur, quo nomine non tantum Reip. Norimbergenſi charus, populo gratus, & ornamento patriæ, ſed & aliis, ad quoſcunque pervenit, admirationi fuit. Theologiæ & ſacrarum literarum erat ſtudioſiſſimus, & controverſa religionis negocia rectè intelligebat: quibus etiam omnibus, quoties uſu veniret, adhibebatur. Quoties deplorare ſolebat, quod alię gentes ac nationes, etiam barbarę, ſummum conjunctionis vinculum haberent, religionem ſcilicet, idipſum fortiſſimos Germanorum animos, ac proinde etiam vires diſtrahere.

Per totam vitam diligentiſſimè ſacra Biblia & probatos eorum interpretes, maximè Lutheri ac Philippi virorum præſtantiſſimorum, quorum ſimiles Sol videbit nunquam, & aliorum ſaniorum Theologorum ſcripta legebat, ex iis ſelectiſſima quæque dicta ac ſententias, quo magis in promtu eſſent, ſibi deſcribens, ab aliorum verò ineptorum matæologorum deliramentis & ſtultiſſimis commentis abſtinens.

Academiam verò hanc, tanquam ſingulare Reip. Norimbergenſis ornamentum, conſtanti amore ac benevolentiâ proſequebatur: &, ſi quid animo fortè providiſſet, quod ejus ſaluti obfuturum putaret, fideliter monebat, laborantíque conſilio ſuo præſtò erat. Omnibus enim & ſingulis hujus Academiæ inclytæ Profeſſoribus celeberrimis, quibuſcunque poterat, ſtudiosè prómpteque opitulabatur. Quo enim vos ſtudio, viri cordatiſſimi, dicite, quo amore, qua benevolentia eſt proſecutus? ut vos auxilio fovit! ut præmiis allexit! commendatione ſuſtentavit! au-

ctorita-

ctoritate protexit! An non semper hujus viri domus vobis patuit? atque omnibus aliis, qui virtute aliqua aut arte præstabant, quasi commune quoddam fuit asylum? An non ipse ultrò benignè omnes invitabat, & liberalissimè hospitabatur? Quid si jam dicere vellem, quàm libenter vobiscum conversatus sit, quanta cum lætitia vestris colloquiis doctissimis interfuerit, non verba sed dies deficeret; ad ea enim tanquam ad suavissimum animi pastum & ocium amœnissimum accedebat, sæpeque etiam dicebat: omnes in hac vita res degustatas à nobis & possessas fastidium, satietatem & defatigationem adferre, solam autem doctorum hominum conversationem & veram scientiam satietatis, fastidii & defatigationis esse expertem, aut si quando defatigari viderentur, oculi quidem legendo, aures audiendo, non tamen mentem cognoscendo fruendóque delassari.

Cum primis etiam juventuti rectè prospectum cupiebat, eámque consilio, autoritate & promotione, ubi opus erat, sedulò juvabat: ut qui intelligeret plus in ea, quàm vulgò putatur, momenti positum, adeóque fundamentum salutis publicæ in ea consistere.

Quid dicam de avaritia, qua nihil magis denigrat atque dedecorat familias illustres & viros nobiles, unde olim δωροφάγοι καὶ δωροδόκοι convicti infamia notabantur, quàm longè scilicet ab ea dominus POEMERUS abfuerit? Non attingam hîc, quàm sanctè & integrè se gesserit, quámque alienus fuerit ab omni corruptionis, non dico crimine, sed etiam suspicione, neque enim pecuniâ se à recta sententia dejici patiebatur: quin contrà quod semel rectum esse judicaverat, constantissimè, uti virum bonum decet, tuebatur: & si quid vel officii ratione, vel benignitate amplissimi Senatus ad ipsum perveniisset, possidebat rectè: & de eo, ubi opus erat, conferebat in aliorum usus libens, & sine sordibus.

In vita privata nihil utique videre licuisset, quod vel ab gravitate, quæ talem personam decet, vel humanitate,

quam ſapientiæ filiam rectè olim dixerunt veteres, ullam in partem eſſet alienum. Erga uxorem ſuavis, comis ac humanus erat, liberos & familiam autoritate & gratia magis quàm metu alieno regebat, ita ut ſibi quiſque pœnam graviſſimam duceret, vel levicula etiam in re, quem oculis ferrent, & magnopere obſervarent, offendere. Itaque ad nutum pręſtò erant omnes: imò voluntatem ejus, conjectando quid vellet, ſæpè antevertebant: qua animorum & officiorum in re familiari συμφωνία nihil ſanè poſſit eſſe ſuavius, jucundius, utilius. Filios, quos ſupra enumeravi, in pietate morúmque honeſtate, ad ſpem & laudem Eccleſiæ & Reip. diligentiſſimè, quàm diu vixit, educari curabat, & ſingulis ſua exercitia pietatis diſtribuere ſolebat, ſicut & peculiariter præceptores & formatores morum & ſtudiorum illis conſtituebat. Filiam verò, cujus educatio non niſi ad matrem propriè ſpectare videbatur, neque hoc ipſa negligebat, exemplo tamen ſuo ad omnis generis virtutes, præcipuè verò amorem pietatis & lectionem Sacræ Scripturæ invitabat. Quidquid etiam occupationibus illis quotidianis detrahere poterat, libenter lectioni ac meditationi S. Scripturæ tribuebat.

Huc igitur eorum, quæ propoſuimus, ſumma (ut extrema cum primis contexam) redit, illum patriæ patrem, fuiſſe veriſſimè, juſtum, fortem, DEI timentem, veracem & omni turpi lucro inimicum, ejúſque domum fuiſſe pulcerrimam & ornatiſſimam, in quam ingreſſæ erant virtus, eruditio, ſapientia, honeſtas, gloria.

Expoſito breviter vitæ ampliſſimi ac nobiliſſimi viri, domini JACOBI POEMERI curriculo, reſtat nunc ut ſim promiſſi memor, & ad extremam hujus orationis partem & metæ viciniorem decurram, in qua de obitu illius pauca etiam commemorabo.

Ut autem de ipſius quoque à nobis ad beatarum animarum domicilium diſceſſu demonſtrem, conſtat verum eſſe, quod vulgò jactari ſolet, vitam, pręclarè & laudabiliter actam, plerunque fine claudi glorioſo & memorabili. An-

tequam

tequam enim è mundi hujus turbinibus evaſit, & cœleſte diverſorium cupidè intravit, ſæpiſſimè repetere ſolitus: ſe libentiſſimè mori velle, eo lætius, quòd non ſibi ſuccurreret, quenquam à ſe tota ſua vita lęſum fuiſſe. Lætus ego moriar (intelligitis verba defuncti) cum recordor, ſeptendecim annis, quos Norimbergæ egi, ſemper me dediſſe operam, ut prodeſſem Reipublicæ. Lætus denique moriar, non tam ob commoda, quæ ſemper in homines à me ſunt profecta, quàm ob CHRISTUM DEI filium unigenitum, quem ſemper colui, cum quo ita ſum unitus, ut paratus ſim ubique locorum, quovis tempore, ſi me avocet, illum ſequi, firmiter etiam credo me placidiſſimâ etiã morte hinc eſſe emigraturum. Ita enim manibus me DEI commiſi, faciat ille quod ſibi fuerit gratiſſimum. O vocem fiduciæ ac miſericordiæ divinæ pleniſſimam, & homine Chriſtiano digniſſimam! Cum igitur ad cœleſtem gloriam acquirendam & immortalitatem ſatis vixiſſet, evocatus hinc fuit anno 1607, die Decembris ſecundo, quo manè prius interfuiſſet concioni reverendi ac clariſſimi viri, domini M. JOHANNIS FABRICII, Eccleſiarum Norimbergenſium Superintendentis primarii, cujus auditor erat diligentiſſimus, quémque etiam, cum propter verbi DEI puritatem, quod jam per aliquot annos propagavit, tum propter inſignem eruditionem ſummo proſequebatur amore, propriáque luce habebat cariorem; cujus concione finita, ut ſolebat, curiam adſcendit, abſolutis ibidem negociis publicis, domeſticos lares reſalutavit, cum cõjuge, liberis aliísve, qui illi aderant, cibum ſumſit, peractis precibus pomeridianis propter quædam negocia tutelaria aliò vocatus, quibus expeditis domum denuò petiit. Cúmque jam ſuum ingreſſus eſſet hypocauſtum, circiter horam majoris horologii primam, pro more ſolito amicè cum uxore colloquens, illíque, quid in ſuorum pupillorum negociis effeciſſet, enarrans, eheu! eo ipſo momento Apoplexià correptus, mente integra, cum vixerat ferè annos 47. ſpiritum CHRISTO Servatori devotè, placidè, ſineq;

gravi, ut ſæpè optaverat, cruciatu reddidit. Cujus morte etſi Reſpublica Norimbergenſis quaſſata eſt maximè, ac MUSÆ ALTORPHINÆ deſtitutæ mecænate beneficentiſſimo, & Eccleſia nutritore orbata benigniſſimo: benè tamen cum eo actum; quoniam omnibus tandem miſeriis liberatus, fiducia miſericordiæ divinæ ac ſpe vitæ æternæ fretus, præparata in cœlo conſecutus eſt præmia, & ibi locorum eſſe eum novimus, ubi non mœror illi ſed lætitia, non dolor ſed quies eſt, ubi non plorat ſed ridet, non ſuſpirat ſed cantat, non cruciatur ſed delectatur, ubi denique mortem non timet, ſed vitam habet perpetuam. Etſi quoque per ætatem & naturæ legem multos adhuc annos ſumma cum utilitate & commoditate POEMERUS noſter vivere potuiſſet, tamen non tam cogitandum, quid nobis commodum atque utile fuerit, quàm quid immortali Deo placuerit, & quid ipſi expedierit. Nam

*Fit quidquid fieri voluit divina voluntas:*
*Et decreta* DEI *tollere nemo poteſt.*
*Non fit, quod fieri prohibet divina voluntas:*
*Ergo reluctari quisq; caveto* DEO.

*D. Conradus Rittershuſius IC. in Agalmatographia ex dialecto Germanico:* Gottes will geſchicht/ vñ anderſt nicht.

Quod cum ita ſit, viri omnium ordinum ac dignitatum præſtantiſſimi, virtutum exempla, quæ nobis reliquit, pro tenuitate noſtra imitemur. Ideò enim DEUS præſanti ingenio viros ornat, ut alii, in eorum exempla intuentes, vita ac moribus exprimere illa ſtudeant & imitari, & virtutis autorem ipſum DEUM agnoſcant & celebrent. Quapropter:

*SUMME pater, mentes populíq; Ducúmq; guberna,*
*Nate potens agmen poſitæ Dux eripe fraudi,*
*Spiritus afflatu da motum, & ſuffice vires.*
*Tu rege conatus noſtros, Pater optime, ſemper,*
*Pieridum ſacris adſis, cœtumq; Scholarum*
*Dirige, Pegaſidas conſerva numine turbas,*
*Te ſacroſanctum quantum decet ore canentes.*
*O æterne* DEUS, *Dux unice, & unice victor,*

*O quan-*

*O quantum & quoties non est numerare beatos,*
*Rebus in afflictis quibus es tu præstò patronus:*
*Quem penes est unum vasti custodia mundi!*
*Adfer opem tanto quassatis turbine rebus.*
*Pelle famem, pestémque fuga, Martémque cohercę,*
*Et caussam defende tuam, tua gloria vincat:*
*Dum tua sincerè populo mandata professo*
*Non unus Pharao ferrum minitatur & undas.*
*Da vires animis, da nescia pectora frangi.*
*Arma fidę, superare doce pietate tumultus.*
*Ut queat insanis Ecclesia pressa tyrannis*
*Impositum perferre jugum, victríxque ferendo*
*Pace colens aliqua divino oracula verbi*
*In patria, sævi revocare catharmata mundi,*
*Et tandem ad cœlum spretis evadere terris*
*Ante patrem æternum* CHRISTO *comitante triumphũ.*

**Dixi.**

Ornatissimo juveni

# CASPARI PANSÆ, JURIS STUDIOSO, ORATIONE FUNEBRI,

*publicè in Acad. Norica recitatâ, celebranti memoriam*

NOB. AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, & (quid multa?) OPT. VIRI, Dn. JACOBI POEMERI p. m.

*Reip. Norimbergensis Senatoris & Scholarchæ meritissimi.*

EIDUM, Pansa, tui socium me adsume doloris,
Tristia POEMERI quo defles fata JACOBI,
Et nos officii in partem permitte venire.
Et nos, quæ luges, præstantia funera tangunt.
Sic fratrem fratri certantem patre perempto
Vidi, uter in manes esset pietate paternos
Officiosior, ac potiores laude referret.
Non tu, non alius fandi prior arte magister,
Vel si Arpinatis, vel si Demosthenis ora
Exuperet, POEMERI exæquet præmia laudum,
Celsa viri, spectata domi, spectata forísque,
Quas meruit virtus, & comis gratia linguæ,
Cui neque mens aberat non fictis consona verbis.
Facta sequebantur, si quid cui dixerat ille.
Raram ævo hoc ò rem, quod verbis ditius est re!
Sed POEMERA fides constans erat atque perennis,
Illabefactato nunquam temerata tenore.
Commemini, qualem pridem mihi præstitit ille
(Publica ne memorem, cunctis notissima, gesta)
Affectum, uxori facerem cum funera fletu
Defunctæ, optarémq; veniret terminus ævi
Et mihi (quippe esset cui jam grave vivere soli,

Imò

Imò nec toti, mediâ ceu parte recisâ
Cordis, humanda foret quæ me vivo atq; vidente)
Talia dixe virum⌣; (& laquearia conſcia templi
Sunt ita dictorum⌣, ſummum teſtantium amorem⌣)
ABSIT, ut antè tibi veniat lux ultima, quàm me
Fata ferant mea! Quin potius tua fata redempta
Ipſe meis cupiam, ſi hîc permutatio detur.
O incredibilem ſummi vocem indicem amoris
Plus quàm fraterni, quem nil queat æquiparare!
Quid, Patrone, tuis meritis, POEMERE, rependam⌣,
Patria queis abs te eſt cumulata Academiaq; iſthæc,
Atque ego, mecum alii plures quoq; ? Non ego, non urbs,
Cujus nuper eras pars non poſtrema Senatus,
Non Academia, non quiſquam tibi reddere dignas
Confidat ſe poſſe vices, ut ut omnia tentet,
Omnésq; induere in formas ſe quiſq; laboret.
Officii verum eſto genus, ſi poſſe negaro
Æquari laudésq; viri & merita ampla canendo.
At te, PANSA, puto punctum tamen omne tuliſſe,
Communem luctum dum⌣, quo potes, exprimis ore,
Communis nomen patroníq; eximis umbris.
Laudem⌣, crede mihi, tali pietate mereris,
Quanquam laude omni eſt major Pœmeria virtus.

*Cunradus Rittershuſius D.*

MEMO.

# MEMORIÆ Dn. IAC. POEMERI,
## SENATORIS PATR. ET SCHOLAR-
### CHÆ opt. τῦ μακαρίτυ, sacrum.

D. Paul. Colerus Senator & Scholarcha.

SIC EST. *In medio unda salo propulsat ut undam;*
*In vitâ cladi clades succedit, Amici.*
*Letho immaturo, fatis properantibus, eheu!*
*Exemptum vivis* COLERUM *Norica Musa*
*Nec dum deflêrat, cum te,* POEMERE, *virente*
*Ævo florentem crudeli falce peremit*
*Immitis nimiùm, & nulli exorabilis unquam*
*Morta; virum Pyliis quem dignum censuit annis*
*Curia; quemq; Helicon optet superesse patronum*
*Omnibus ominibus, quà* ALTORFI *mœnia surgunt.*
*A teneris Phœbo & Musis,* POEMERE, *dicatus*
*Unguiculis: diæ Themidi maturior annis*
*Addictus, simul Historiæ, firmatus abundè*
*Dotibus ingenii, doctæ & moderamine linguæ;*
*Atq; informatus præclaris artibus, inde*
*Perrexti magnis ad honores gressibus amplos.*
*Quando pro meritis factus pars magna Senatus:*
*Hanc pulcrè Spartam ornâsti, ut tibi patria alumno*
*Inciperet debere suo. Hinc pia cura Lyceii,*
*Quod famâ extollit clarum super æthera nomen,*
*Palladiisq; viris toto celebratur in orbe,*
*Demandata tibi: quæ laus næ maxuma stabit,*
*O* POEMERE, *tibi, cœlo dum sidera stabunt.*
*Prætereà orphanicum rexti moderator amatus*
*Ritè gregem: tua quæ res multum encomia adauget.*
*Occidis, hæc curans cum curâ, & pectore fido.*
*Fila secant Parcæ. sed quid? Tibi janua olympi*
*Panditur, ut pede recto adeas cœleste Lyceium;*
*Curia summa patet tibi, quà sapientia vera*
*Tractatur, lites absunt; quâ amplectitur omneis*
*Omnituus Genitor, posito qui corpore ad astra*

*Deveni-*

*Deveniunt, istic solidam pacémq; quietémq;*
*Inveniunt; nec enim hanc alibi reperire licebit.*
*Quæ tibi noster amor post fata sacranda putavit,*
*O* POEMERE, *precor cui, molliter ossa cubare.*

GEORG. REMUS IC.
Lub. Mer. F.

---

# SCAZONTES,

In obitum

## NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI, DN. IACOBI POEMERI, SENATORIS Norimbergensis, & Academiæ Altorphinæ Scholarchæ.

PROH, Fata dura, dira, sæva, implacata!
Quid non furoris impii, iniqui, crudi
Patrâstis in nos hactenus? Ne dicam nunc
Antiqua, quorum multa sunt inamœna,
Quid non recens hoc vulnus ostendit scævi?
Ad quod mihi horret mens, fugit luctu,
Nec integrum vel nominare rellinquit.
Hei! Nil opus mihi nomine, in nefando isto,
Quod tangit omnes, ulcere. Hei! Non est fas heic
Deplere mentem, & nomen edere insanum,
Mali silentis. Sed quid hoc silenti sit?
Inclamat omnes publicè, privatim omnes,
Monens, ruisse solum & unicum fulcrum,
Et literarum, & literatûm penè omnium.
Nolo ominari: sed potius DEUM orabo,
Dignetur ille Nobis & Palæcomæ

Virum dare, usquequaq; POEMERO
Similem fide, pietate, zelo, candore.

*Ne assymbolos esset in publico luctu.*
*faciebat Casp. Hofm. Med.*
*Doctor & Professor.*

## ALIA ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

*OMNIPOTENS nos dextra DEI sat Marte Togâque*
*Protegit: ast ventis non tibi sufflat opem.*
*Nam ceu magnificæ urbis sunt pomœria asylum,*
*Haud aliter docti, teste Platone, viri.*
*Destructo mœro, aut unâ domus orba columnâ*
*Corruit: urbs doctis sic quoq; Consulibus.*
*Cum locuplete penu, pomœria, fundamentum,*
*Concors, si jungas; urbs bene septa manet.*
*(Tres Charites quasi sunt) medio sed nomine adempto,*
*Omine privata est sancta Catena suo.*
*Norica quod tellus, inopino heu! funere sensit*
*Nuper præclari, ô res lacrymosa! viri,*
*POEMERI, duplici qui nobilitate celebres,*
*Doctrinæ & generis condecoravit avos.*
*Proh dolor heu! præter spem lapso mense Decembri,*
*Brumalisq; decem solstitii ante dies:*
*Divino haud fato renuens, animam expiravit*
*Sanctam, en, ætherei transit ad astra Poli.*
*Eximius, prudens, obit ecce, Scholarcha, Senator,*
*Musarum fautor, justitiæq; decus.*
*Fundite Noriacæ carmen lacrymabile Musæ,*
*Quas triplici hæc mœstas, ordine, fata tenent.*
*Heu pietas! Themis alma eheu! tu cana fidésq;!*
*Funeream lacrymis eja rigate togam.*
*Quis querulâ egregium hunc adiit quis voce Patronum?*
*Lætus ovans rediit non nisi Mysta sacer?*
*De fidei articulis sanctas miscere loquelas,*
*Suadebat sanctæ relligionis amor.*

O fron-

*O frontem Charitum fragrantem nil niſi odore!*
*Quantum erat ô! gravitas mixta lepore decus.*
*Promptus ad Oraclum Themidis, ſed tardus adiram,*
*Conſul erat; doluit propter & omne nefas.*
*Zoilo & haud patulas dedit aures, judiciúmq;*
*Non prius auditus quàm ſit uterq; tulit.*
*Civibus ancipiti poſitis, ſacra ancora, caſu,*
*Fatidici nec non Oedipi & inſtar erat.*
*Exul, inops, æger, petiit ſi limina noſtri*
*Patroni, largæ mox ſtipis æra tulit.*
*Siſtite ſed lacrymas iterum poſt funera, Muſæ,*
*Solamen lacrymis & modus eſſe decet.*
*Non obiit, ſed ad aſtra abiit, præeuntis Achates*
*Quisque erit; in* CHRISTO, *portio grata Poli.*
*En mala cuncta, hoſtes, pedibus calcantis Jacob*
*Inſtar, & Iſraël nunc videt usq; DEUM.*
*Inclyta ſed penitus num tota ſubacta jacebit*
*Gloria Pieridum, Pæmeridum anne domus?*
*Sic DEUS haud voluit: Tu pars,* WOLFFGANGE, *Lyceii*
*Cara Palæcomes, Aonidúmque decus.*
*Nobilis es ſtirpis tu flos, ſpes magna; Parentis*
*Æmula te virtus culmina ad alta vehet.*
*Tu quoque Feldenſis, quem Norica ſceptra tenentem,*
*Gens pia ceu coluit, luſtra per octo, Patrem.*
*O venerande Senex, clarè arte & Marte* GEORGI
*Pæmer, Pæmeridum, Pieridumq; decus,*
*Vive valeq; Tuis, nunc ſalvus, Neſtoris annos,*
*Semper eras columen; dulce levamen eris.*
*Néve recrudeſcat vulnus, Rex ſumme, doloris*
*Sanati nondum, percipe Chriſte preces.*
*Denique apud ſeros bene gratia magna Nepotes*
*Stabit Pæmeridum, Panſa diſerte, tibi.*
*Voce parentaſti querulâ quod in manibus huius,*
*Quem Chriſtus vetat & ſancta Thaleia mori.*

M. Johannes Chilianus Spremberger.
Eccleſiæ Altorphinæ Paſtor, F.

*In luctuosissimum obitum*

# NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE VIRI, D. JACOBI POEMERI,

REIP. NORICÆ SENATORIS PRUDENTISSIMI,
& Academiæ Noricæ Scholarchæ
dignissimi, ode

*MICHAELIS PICCARTI FRANCI, PROFESSORIS* NORICI.

Quid me querellis exanimem novis?
Quid ægra tundam pectora verbere?
Vellámq; crineis mentis exsors,
Lessibus omnia compleámq; ?
Quod si querellis, si lacrymis meis,
Quod si dolori numina tristia
Concederent nunc, inq; vitæî
Munia mî caput id referrent.
Desideratum pluribus optimis,
Desideratum Noriacæ scholæ,
Desideratum PATRIBÚSQUE
(Norica Res quibus immoratur,
Et nixa celso se sociat polo,
Capútq; condit nubibus inclutum)
POEMERIDUM lumen JACOBUM,
Lumen item melioris ævi.
Nemo futurus me officiosior
Nemo alter: immo totus abivero
In planctuum lamenta pernix,
Diffluam & usq; calente fletu.
Vt adsiderem flumina patria,
Et triste mœstus succinerem melos,
Quod disceret Pegnessus à me,
Et fluvios alios doceret.

Post

Poſt doctus: ut miſcerem egò lacrymas
Fuſas oclorum circulo ab uvido
Vndásq; Francarum rigantes
Delicium, decus urbiúmq;.
Miſtura quæ deîn fluminaq; influens
Longinqua, in didita diſſitas
Momenta luctus ſpargerétq;
Inq; rigaret ea arva fletu.
Hinc luctuoſas collibus adſitis
Vocésq; ſylvis ingeminarem ego
Mœroris immenſi argumenta
Damna querens patriæ & Lyceii.
Donec doloris, flexilis & pia
Veniret ECHO, flebilibus modis,
In partem, & antro perſonaret
Credita verba profundiore.
Exin ſilens, aut murmure tertio,
Duras ſororum exagitans vices
Netricum, & importuna juſſa,
Vel Iovis imperium increparem.
Per fœta campi paſcua pérque agros
Verſos aratris ſæpè micantibus
Donec propè aures accidiva,
Aura meæ bibat ægra mentis.
Sed quando ſurdis auribus hæc queror,
Et nemo leges inviolabiles
Fati reſolvítq; arbitratum,
Quin lacrymis dolor uſq; creſcit.
Vox fracta Parcas nil quoniam adficit,
Nec plus malorum molibus adferunt,
Quam Præficæ fortè ejulatus,
Fuſæ oculis lacrymæ ſuorum.
Contra dolenti fit geminum malum,
Et luctus extra qui poſitus modum eſt,
Effœminatæ nec virilis
Indicium indolis eſſe fertur.

Deſiſto ſanè queſtuum & uvidos
Orbes oclorum pollice tergeo,
Et pectus hoc commaſculare
Adgredior trepidante nixu.
Hoc addo luctuî: ſub lapide hoc ſitum
Et conditum ſecli, proh, decus unicum,
Iurísq; formam atq; æquitatis,
Et ſpeculum pietatis ipſum.
Hoc aio: ſaxum contegere inclytæ
Virtutis omnem materiem & bonum,
Et quidquid umquam gens bonorum
Cenſuit aut pretio aut honore.

*Ampliſſimi deſideratiſſimiq; Patroni honori F. Michael Piccartus Fr.*
*Profeſſor Noricus.*

---

# INOBITVM AMPLISSIMI NOBILISSIMIQUE VIRI, Dn. JACOBI POEMERI, SENATORIS ET SCHOLARCHÆ prudentiſſimi optiméque meriti.

## Ὁ ΔΕΙΝΑ. ACADEMIA ALTORPHINA.

*QVanam, age, pallidula es? Acad: Muſarum Norica nutrix.*
ὁ Δεῖνα. *Ergo quid humeſcunt perpeti ita imbre genæ?*
Acad: *Perpetuo quod enim tabet mens icta dolore,*
*Poſt mortis jactum fulmen atroce manu.*
ὁ Δεῖνα. *Ergo tibi hoc tantum fixit Mors impia vulnus?*
Acad: *POEMERI figit dum mihi dulce caput.*
ὁ Δεῖνα. *Proinde tuus, POEMERUS, bonos FUIT? ô dolor! ô quæ*
*Te viduat tanto ſors mala præſidio!*
*Ille, tuus cæcis errat dum linter in undis,*
*Et Palinurus erat, & Cynoſura ſimul:*

Ille

*Ille tua, ille idem traherent si structa ruinam,*
*Totum onus heroo vertice fulsit Atlas.*
*Quin duce nuper eo visa es super astra volare:*
*Nunc nitens per humum, vix trahis ægra pedem.*
*Quæ simul, ah, secuit* POEMERI *stamina vitæ,* Acad.
*Incidit pennas invida Parca meas.*
*Has ne tibi melior sîrit Fortuna renasci?* ὁ Δεῖνα.
*Nasci iterum Phœnix si queat ille mihi.* Acad.
*Fide Deo: Restant Aquilæ, quarum ardua laudis* ὁ Δεῖνα.
*Remigio alarum, Gloria tendit iter.*

Michaël Virdungus, Histor: ac oratoriæ facultatis professor.

---

# *AD CONIVGEM ET LIBEROS AMPLISSIMI SENATORIS AC Scholarchæ, D. Jacobi Pœmeri, piè defuncti.*

SIt modus in lacrymis, charissima pectora, patrem
Queîs tantum atq; virum nuper defletis ademtum.
Sunt equidem (fateor) mortalis stamina vitæ
POEMERO ante diem florente abscissa sub ævo:
Textore ut quondam properante absolvere pensum,
Licia rumpuntur subitò, ac præclara morantur
Exorsa artificis. Sed non obiisse putetis
Illum, cuî melior vita est iam reddita cœlo.
Non etenim hæc magni POEMERI vita vocanda est,
Corpore quę vegeto, ac tenui comprehenditur aurâ:
Quæq; malis mersa est multis, & finibus arctis
Incluſa. Ast illa est vitai nomine demum
Digna, polo atq; altâ Superûm quæ vivitur aulâ:
Quæq; malis curísq; vacat, nec tempora certa
Fixa habet aut metas, sed demto fine beata est.
Atq; hanc cœlesti Paradiso vivere vitam,

Jamq; à conſpectu CHRISTI haud divellitur unquam,
POEMERUM, indubitata fides: quia munera CHRISTI,
Et noſtra acceptas ob crimina corpore plagas,
Non dubitante fide amplexus fuit uſq; IACOBUS
Pœmerus: meritóq; ſui confiſus IESU,
Illibatam animam tandem exhalavit in auras.

*M. Georgius Mauricius*
*Witebergenſis.*

---

# AD ORNATISSIMVM ET DOCTISSIMUM JUVENEM, CASPAR. PANSAM, L L. STUDIOSUM, DE MUSIS DOLENDO

obitu nobiliſſimi, ampliſſimi prudentiſſimíq; viri, Dn. JAC. POEMERI, Senatoris & Scholarchæ &c.

*QVem, PANSA, tantis extuliſti laudibus*
*Oratione luculenta, Vir fuit*
*Et his & illis laudibus lautiſſimis*
*Pietatis & virtutis & ſcientiæ*
*Iuris ſeveri, dignus, & Collegii*
*Sacri Senatus teſtimonio gravi,*
*POEMERUS ille, cuius haud quidem fuit*
*Pars parva: quando Conſulis prudentiam*
*Frænúmq; quovis temperando tempore*
*Exeruit, atq; noxios ad carcerem*
*Prorupſit, atq; ſimplicem innocentiam*
*Refecit albo calculo latiſſimè.*
*Et hoc ut ipſum poſſet expeditius,*
*Perſæpè noctis & quietis, optimum*
*Quod eſſe dicunt, rupit, & ſomnum velut*
Sen. Epi. *Breviſſimum interjunxit, & dieculas*

*Labore*

*Labore totas publicè vel & domi*
*Consumpsit inter arduarum maximè*
*Rerum vices; & ad salutem publicam*
*Se impertiendo terminum vitæ suæ*
*Metámq; rupit: Fata si possunt modò*
*Quid impediri, hic impedivit hoc modo: Et*
*Sic ipse mortuum quidem se maluit*
*Quàm non ad usum Patriæ se impendere.*
*Lauda deinceps,* PANSA, *tales taliter,*
*Hac lege, ne quis ante canos, hic velut*
POEMERUS, *ex hac exeat vitâ, aut prius*
*Quàm sit Duumvir factus hac in Patria.*
*Sic, Pansa, quadam laude te vicaria*
*Multi beabunt. Sic habebimus Patres*
*Nostro in senatu: qui modò hoc agunt, Patres*
*Vt Patriæ sint nisibus præstantibus.*
*Deum quod oro! nempè nobis his opus,*
*Tam turbulento támq; tristi tempore,*
*Casum minantur quando cuncta pessimum*
*Gravissimúmq;: quando censetur suo*
*Nunc ære virtus: quando nunc sententiæ*
*Adulterantur per nigras albæ, malè:*
*Fortuna quando contutit sævissima*
*Navem misellam Ecclesiæ sub pondere*
*Crucis subin gravissimeq; cernuat.*
O IOVA, *serva Patriæ tantæ Patres*
*Tantos, & huic oppone vicino malo,*
*Bellona quod minaciter Germaniæ*
*Intendit à truci quidem vicario*
*Turcæ! Quis iste? Præstat in silentio*
*Opem* IEHOVÆ *præstolari cælicam,*
*Armísq; niti Spiritus stringentibus*
*Oculos protervos hostis istius; modò in*
*Cladem paratis ipsius certissimam.*
*Sed interim dum luctui suum damus,*
*Sacro Senatui virum quem suffice,*

*Jehova, justum, æquum, saluti publicæ*
*Natum. Quod unum te rogamus unicè.*

M Christoph. Reich.

MAturo qui consilio, Pœmere, valebas,
Nunc præmaturâ morte peremte jaces.
Et poteras qui consilio immortalis haberi,
Mortalis prostas morte peremte ferâ.
Ludit in humanis sic Morta nefaria rebus!
Sic nîl est certum, quod vaga Luna videt!
Norica poscit opem Res-publica, Curia poscit,
Altorfina & opem poscit anhela tuam.
At, Pœmere, taces; hinc te Res-publica luget
Norica, quin luget te sacer ordo Patrum.
Curia te luget, te Altorfinúmq; Lycéum,
Te cives patriæ, te studiosa cohors.
At bene habet. Mortalis eras; nunc glorius, atq;
Immortalis ades; gloria pandit iter.
Gloria pandit iter, tua gloria didita terris
Nunc incrementum, nec sine laude, capit.
Nunc immortalem dabitur tibi vivere vitam,
Cum Christóq; ævo prosperiore frui.
Ergo Altorfinæ tibi jam gratantur Athenæ,
Et cantat laudes gens studiosa tuas.
Norica gratatur Res-publica, Curia, cives,
Et conscriptorum sancta corona Patrum.
Grator & ipse tibi, & dico: Pœmere beate,
Perpetuum salve, perpetuúmq; vale.

Εὐσεβήματος ἕνεκα f.

*M. Georg. Klein, Diacon.*
*Norib. ad D. Virg.*

NOBI-

*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET PRUDENTISSIMO VIRO, DOMINO Jacobo Pœmero, Scholarchæ & Senatori Reipubl. Noricæ dignißimo, patrono ſuo ſummè obſervando, hanc næniam funebrem,*

debitæ obſervantiæ & gratitudinis
ergò, humiliter dedicat

*Daniel Wagnerus Winshemius Francus, Scholæ Sebaldinæ collaborator.*

## EPICEDIUM.

*PROSAPIÆ antiquæ, POEMERE, decórq; nitórq;,*
*POEMERI fortis patris dignißima proles,*
*Æmule & inſignis: quoties te volvo revolvóq;*
*Ægro animo (cunctas verò obverſaris in horas,*
*Chare patrone, mihi) toties in millia membra*
*Viſcera rumpuntur, fundunt ſuſpiria & alta.*
*Nam quare renuam certißima ſigna doloris,*
*Dum vivus fueras ſtudiorum fautor & auctor,*
*Virtutum columen, Patriæ memorabile lumen,*
*Juſtitiæ Myſtes, ſophiæ firma anchora: Portus.*
*Te vitâ functum luget Reſpublica, lugent*
*Templa, Scholæq; forúmq; & mœnia Norica lugent.*
*Nam judex æquus ſolummodò publica lucra*
*Spectabas, libris affixus nocte diéq;*
*Hærebas: vero Zelo pietatis avitæ*
*Ardebas: ſoboli exemplum laudabile vitæ*
*Præbebas. Fueras ſomni parcúsq; cibíq;,*
*Principibus gratus, tecum traducere ſecla*
*Optabant, vivo tibi vota & fata ferebant.*

Te

*Te vivo & salvo gaudebat patria chara,*
*Curia gaudebat, gaudebat docta corona,*
*Te tutore dato sibi mœnia salva vigebant.*
*Nobilitate, fide, virtúteq; clare patrone,*
*Fratribus & genitis tecum de sanguine claro*
*Pectoribus charus modò gaudia mille creabas*
*Nunc omnes juncti communis conscia luctus*
*Signa edunt certissima. Te vivum sibi reddi*
*Exoptant omnes. Verum quia fata peremptum*
*Morte semel, nunquam terrenis reddere rebus*
*Exoptant, mundi de mole in cœlica regna.*
*Jovæ translatum pia degere secla sinamus.*
*Strenuus, afflictus variâ cruce, cuncta paratus,*
*Teste domo, è cœlo demissa pericla ferebas*
*Ostendens animi mœsti vestigia nulla.*
*Te licet ereptum Patriæ rebúsq; paternis*
*Me lugere piè defunctum mœsta corona*
*Urgeat & stimulet: tamen, ô Patrone colende,*
*Te quoniam Jovæ, sapienter singula agenti,*
*Eripere huîc terræ placuit, moderando dolorem,*
*Chare Patrone, tibi grator, placidámq; quietem*
*Linquo: dum positâ terrenâ mole recondis*
*Corpus humo, mentem cœlesti at in arce reponis.*
*Vive, vale æternùm veræ pietatis amator,*
*Vive quietus humi, donec te cœlica* CHRISTI
*Excîrit tuba, Téq; æternâ sede beârit.*

18. Junii anno 1608.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

H. Heinrich
BUCHBINDEREI · EINRAHMUNGEN
2956 Bottenburg

3/97